



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

An protestatio ab irregularitate excuset.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96556)

priori culpa, sed à posteriori. Non à priori, quia illa minime propria natura ordinatur ad homicidij, aut abortus periculum, nec ea quicquam pertinet ad homicidij vel abortionis euentum, & ad irregularitatem priuati homicidij aliqua est culpa necessaria, vt paulò ante probauimus, aut plane hæc culpa remota est admodum ab homicidio, seu abortione, quæ postmodum euenit. Deinde si prior hæc culpa foret sufficiens ad irregularitatem, sequeretur, cum irregularem esse, qui libidinis causa, aut lasciuia luderet cum femina, quam ignorantia inuincibili ignorabat prægnantem esse, si abortus ex eo lusu foret sequutus. quod mihi admodum est dubium, nec iuri consonum videtur, Scio enim, hunc propter *iusam & inuincibilem ignorantiam* omnino immunem esse, & liberum à culpa abortionis, siquidem eam qualiter ignorauit, quæ ad delicti culpam est necessaria, vt sciatur, ne actus sit omnino inuoluntarius. Igitur irregularitas non deducitur à priori culpa, procedit autem à posteriori, quia lusus ille cum femina prægnante periculosus est, saltem frequentissimè occasionem præbet abortioni. Et idcirco illicitus, & incautus, ac proinde reprobis. Quamobrem irregularitas ex homicidio, casuali hæc in specie oritur ex eo, quòd quis dat operam actui ad mortem & occisionem periculoso, atque ideo prohibito.

Sexto, si illa prior culpa non est in hoc tractatu irregularitatis imputanda, dubia profecto videtur cõmunis omnium interpretatio ad text. *in d. c. sicut*. quam nos retulimus hoc in §. *vers. secundo in eiusdem prioris partis*. Etenim etiam si frater, aut consanguineus cum femina prægnante incaute luserit, vt luserit, presbyter ille, cuius Romanus Põtifex meminit *in d. c. sicut*. foret hæc irregularis censendus, quia operã dabat rei illicita, & prohibita ex eo, quòd sit actus ad abortionem periculosus, nec potest absque aliqua culpa cõtingere, propter periculum inde verisimile.

Hæc sane sunt in medium propofita, non equidem contumaci asseueratione, sed vt lector ex his valeat, sublati difficultatibus, frequentiorẽ Doctõrum sententiã probare, ac defendere.

De eo autem, qui habet vrsum, leonem, vel canem, an irregularis sit, si aliquid ex his animalibus hominem occiderit, respondendum erit, non contrahi irregularitatem, si hæc animalia cautè, & bene ligata custodiat. *l. 2. §. vlt. ff. si quadrup. p. cap. scilicet. dicitur. l. item Mela. §. item cum eo. ff. ad leg. Aquil. notant Innoc. Abb. & Doct. in c. ad audiendam. de homicid.* Attamè ipse opinor, hunc esse irregularem, si hæc animalia habeat etiam ligata in via, vel in itinere, aut in alio loco publico. *lbi enim. l. & generaliter. l. que vulgo. ff. de edil. edilic. quarum meminit Lud. Rom. in singul. 704. ad hoc, quod hic vltimus casus puniendus, & legibus illis punitur pœna pecuniaria ducetorum solidorum.*

Postremo in hac re obseruandum est, quod voluit glos. *in c. directus. de homicid. in verb. nec actu*. dicens, homicidium actu commissum, & tamen absque voluntate & culpa, imputari committenti, quoad ordines suscipiendos, non tamen, quoad susceptos. Cuius assertionis exemplum in iudice proponitur. idem sentit Felin. *in cap. presbyterum. nu. 3. de homicid.* sed tenenda est cõtraria opinio, imo iure verius est, nullam in hoc esse differentiam inter promotum, & promouendum. Nam ex homicidio contingenti absque voluntate & culpa, nulla oritur irregularitas, *c. si duo. & c. hi qui arborem 50. dist. cap. significasti in prim. & c. directus. de homicid.* Illud verò homicidium, quod à iudice cõmittitur, voluntariũ est, tametsi culpa careat atque ideo prædictam glos. reprobat Abb. & Anan. *in d. c. directus. idem Abb. & Anan. in d. c. significasti. illum text. ad hoc adnotantes. Quorum opinio mihi videtur frequentiori Doctõrum cõsensu recepta. Quamobrem quoties irregularitas ex homicidio oritur, eã impediet promotũ in susceptis ministrare, & ad maiores ordines ascendere. At in eo casu, quo nulla deducitur nec contrahitur irregularitas, non impeditur quis ad maiores ordines ascendere, sicut nec impeditur in susceptis ministrare.*

Hæc verò dicta sint de homicidio voluntario, & de casuali, à priuata persona commissis. Etenim, vt sepius admonui, necessaria est ad irregularitatem ex eo cõtrahendam aliqua culpa. De homicidio à iudice commissio statim dicemus, prius pramittens, quid dicendum sit de homicidio, cui accusator vel testis, aut aduocatus causam dedit.

§. QVINTVS.

An protestatio ab irregularitate excuset.

S V M M A R I A.

- 1 Laicus vel clericus absque protestatione, in criminali iudicio aliquid accusans irregularis est, si accusatus à iudice occidatur.
- 2 Protestatio accusatoris, etiam animam habentis, quod occidatur, non liberat ab irregularitate.
- 3 Protestatio ista excuset, etiam si inique reum morti tradiderit.
- 4 Protestatio ista an excuset accusantem pro aliena inuria?
- 5 Aduocatus in causa sanguinis, an præmissa protestatione officiar irregularis quid de se se.
- 6 Inquisitores heretice prauitatis qua ratione excusentur ab irregularitate, tradentes reos iudici seculari.
- 7 Index an ex duro carcere, morte sequuta, sit irregularis.
- 8 Episcopus, vel sacerdos, an possit esse delegatus Principis secularis in causa criminali.

Vltimo quidem loco huius secunda partis oportet expendere irregularitatem illam, quæ solet procedere ab excusatione criminali, ex qua mortis condemnatio, de eius executio sequitur. Est etenim celebris constitutio, *de homicid. lib. 6. secunda*, quæ statuit, quæ accusatio, etiam si mors sequatur, non oriri, nec induci irregularitatem, si accusator protestetur, quod ad vindictam sanguinis ad mortem quidem, vel membri mutilationem non procedatur, ea verò protestatione ommissa, inibi probatur, accusatorem effici irregularem. Ad huius verò questionis examinationem, & perfectiorem intellectum libet hæc in parte aliquot proponere, quæ mihi vtilia fuere pro totius huius tractatus resolutione.

Primo illud proponitur, quod licet laicis licitum sit pro delicto publico vel priuato ad mortis pœnam aliquem accusare. sicut ex sancto Thoma, & alijs probauimus *lib. 2. vltimum resolutionũ. c. 10. nu. 7*, tamen vbi ex ea accusatione mortis sequuta fuerit publica autoritate, erit Thic accusator censendus irregularis. Etenim si index irregularis est, qui cogitur iusticiam vnicuique ministrare, & punire nocentem, fortiori ratione accusator ipse, qui poterat eam accusationem quandoque pie ommittere, irregularis erit. Nec demum refert, quod accusare teneatur quandoque, quemadmodum & index punire, siquidem homicidium autoritate publica contingens ad irregularitatem iudicis, & accusatori imputatur absque vlla peccati culpa, imo plerumque eo casu, quo meritoria sit ea accusatio, & publica punitio. Alioquin nec clericus ad mortem accusans, irregularis censendus foret, si publica punitio mortis non imputaretur laico ad irregularitatem, cum hoc homicidium voluntarium sit licet ad vindictam publica autoritate consequendam pertineat. Nec alia ratione clerici prohibentur accusare simpliciter absque protestatione, quam quod eorum voluntas per eam accusationem manifestè feratur ad homicidium, vel membri mutilationem, hanc vindictam per accusationem petentium. Quod probatur *in c. sua nos. §. vltim. de homicid. d. v. vbi scholaris ille non iudicatur irregularis, etiam si signa dederat, vt cognosceretur fur, qui postmodum mortè obierit ex punitioe iudicis, quia illa signa nulli genus probationis induxerunt, sed tantum aliquod leue indicium, quod quidem causa remota fuit ad homicidium, quasi contrarium foret respondendum, si scholaris ille ipsum furem indiceret, sciens, quod quærebatur ad mortem. tunc enim contracta fuisset irregularitas, secundum Cardin. & Anan. *in d. c. sua nos. §. vlt. Socin. in c. ad audiendam. de homicid. nu. 52.**

Secundo adnotandũ est, hanc accusationem criminalis clericis prohibitam esse, vbi in ea tractanda est causa sanguinis, *cap. postulasti. de homicid.* & probatur *in d. cap. 2. c. in d. quod obtinet in causa publica, vel priuata. Idem secundum quorundam intellectum probat text. in cap. accusasti de accusat. vbi præter alia clericus accusator penitentiam agere tenetur, non tamen ita grauem, si pro bono pacis acculerit. Hæc autem prohibitio iuris humani Põtificali est, non diuini, nec naturalis, quemadmodum deducitur ex his, quæ docet S. Thomas 2. 2. *quest. 64. artic. 4. notant in hac specie Domin. à Soto in relect. de secreto. membro 2. q. 3. coroll. 3. & Martin. Azpilcueta in relect. inter verba. 11. q. 3. coroll. 60.**

Tertio, eodẽ iure humano Põtificali statuta est irregularitas propter hæc accusatione criminali simpliciter propofita à clerico, quod cõstat *in d. c. 2. & in d. c. postulasti. vbi est omnium*

omnium hac de re communis sententia, poterit tamen summus Pontifex per dispensationem hanc irregularitatem tollere, imo licitam facere clerico huius causę sanguinis actionem, & tractatum.

Quarto, iure ipso Pontificio statutum est, clericum cause criminalis accusatorem, etiam si iudex ad mortem precefferit, liberum esse ab irregularitate, si in ipsamet accusatione protestetur, in ipso iudicio, non petere ipsum esse criminis vindictam, quę mortem aut membri mutilationem inferat. text. singul. in d. c. 2. de homicid. in 6. qui procedit, etiam si nihilominus certum sit, iudicem mortem illaturum accusato, quemadmodum notant Ioan. And. Abb. & Fel. in d. c. postulasti. Socin. in d. c. ad audientiam. nu. 54.

Quinto, hæc protestatio tunc necessaria est, cum clericus alicuius criminis, aut sceleris accusat quempiam apud iudicem secularem, nec tamen est omnino pretermittenda, ubi causa civilis per clericum ad iudicem secularem tractatur, licet ex accidenti contigerit, quod iudex secularis, eiusve ministri pro iniustitia executione adversarium contumacem, & resistentem occiderint. text. celebris secundum intellectum Anan. & Dd. in d. cap. postulasti. quo in loco Anchar. Abb. & omnes hoc ipsum fatentur.

Sexto, hæc ipsa protestatio ab irregularitate reddit accusatorem immunem, etiam si accusator animum habeat protestationi contrarium: etenim irregularitas iure humano positivo inducta est, nec ab interiori tantum animo procedit, quod iam saepe admonuimus, actus verò in hac specie exterior eius est conditio, iuxta Põtificias sanctiones, nullam inducat irregularitatem, sicuti probatur in d. c. a. que ita Felin. tenet in d. c. postulasti. ex Ioan. Andr. in d. c. licet Anan. in eod. c. postulasti. contrarium notauerit, pro se citans Ioan. Andr. in d. c. 2. qui tamen potius contrarium probat, cum senserit ad consilium proprius, quam ad necessitatem pertinere, quod accusator animum habeat liberum ab hac mortis inferendę voluntate, quo ad forum iudiciale exterius.

Septimo, eadem ratione accusator irregularis erit, si nõ præmittit prædictam protestationem, etiam si in animo gerat, & voluntatem habeat, quod ille accusatus non occidatur, nec membro mutiletur. Nam licet animus prauus non inducit irregularitatem, ita nec ab ea quęquam liberat, cum actus exterior ad homicidium tendens, irregularitatem agentis constituit, quod in hac specie visum est gl. cõmuniter receptę, in d. c. 2. & procedit in conscientie foro ad hæc, sicut & in iudiciali, secundum Cald. & Franc. in d. c. 2. licet contrarium notauerit Andr. Tirac. de leg. cõmub. post ipsa leges, in gloss. v. ubi contendit, & conatur excusare hunc clericum accusatorem, quoad Deum, id verò refragatur veritati, iuxta quam quis est irregularis in exteriori iudicio, & tunc irregularis erit in interiori.

Octavo, si ab accusatore protestatio præmissa sit iuxta text. in d. c. 2. non imputatur ei quoad irregularitatem homicidii, nec mors acceusato illata per iudicem iustitiam lumines, & ius ipsum excedentem, gl. cõmuniter probata in d. c. 2. in verb. iustitia. cui opinioni obicitur, quod notant Dd. in c. significasti. in 2. de homicid. tenentes quem esse irregularem, si ipse videns furem fugientem cum rebus sibi furto ablati clamauerit, & vicini accesserint, ac furẽ occiderint, etiam contra clamantis protestationem. Hęc enim opinio communis videtur ex his, quę notat Anan. in d. c. significasti. nu. 36. igitur eadem ratione & irregularis foret censendus, qui apud iudicem secularem aliquem ob crimen detulit, etiam præmissa protestatione, si iudex inique ipsum accusatum morti tradiderit. Sed Anan. col. 3. & Felin. in d. c. significasti. non omnino cõsentiant cõmuni opinioni, si quid de ea maxime dubitant, vt & Socin. dubitauit in d. cap. ad audientiam. nu. 51. Ego verò, licet vera sit opinio communis, quę mihi facis est incerta, opinor maximũ esse inter hæc duo discrimen. Etenim qui clamavit aduersus furem, & priuatos homines interpellauit, vt sibi subuenirent, maiorem se quati homicidii culpam habet, quam qui apud iudicem de homine scelerato conquepitur. Nam quito minor præsumptio constat, quod iudex leges & iura minime transgrediat, quam quod priuati homines cõtra furem interpellati ab homicidio temperabunt. qua ratione mirum non erit, si priori casu nulla contrahatur irregularitas, posteriori vero ea iure Pontificio contrahatur.

Nono, ad eundem capituli interpretationem, illud magis

erit obseruandum, quod Anan. in d. c. postulasti. notat, existimãs, non imputari accusatori, etiam non protestanti, mortem a iudice accusato reo contra ius & iustitiam illatam. Satis enim iuste & sincerè protestationem omittit accusator, qui secundum leges & iura optime censet, mortem accusato nequaquam fore inferendam.

Decimo, ad eo protestatio excusat irregularitatem, vt nec irregularis sit accusator, nec clericus ex morte per iudicem reo illata, etiam si ipsemet clericus reũ capiat, detineat, & iudici tradiderit ad punitionem, secundum Franc. & Ioã. Vancheliũ, post alios in d. c. 2. Socin. in d. c. ad audientiam. nu. 52. & 53.

Vndecimo, præmissa protestatio non prodest accusatori, nec eũ liberat ab irregularitate, ubi ipse reũ accusauit pro furto vel iniuria, nõ sibi, sed alteri illata, quasi constitutio prædicti c. 2. tunc locũ habeat, eũ accusatio proponitur pro iniuria ipsi accusanti illata, aut saltem suis, & propinquis, secundum cõmuniem, in d. c. 2. vt sensit Felin. in d. c. postulasti. quę quidẽ opinio ita posset intelligi, quod nihilominus clericus protestatione facta possit abique metu irregularitatis delictũ aliquod præcogitatum, & denique tractatum in graue Reipublicę dispendium, aut proximi dånnum, caute deferre ac denunciare in meliorem potius, quã ad punitionem. Etenim etiam si ex huius criminis inquisitione mors sequatur iure & iustitia illata, nõ erit delator irregularis, modo aliter, quam per denunciationem, huic malo obuiam iri non valeat. Quod in specie adnotarunt Caietan. 2. 2. q. 33. art. 7. Martin. Anpilcueta in c. inter verba. 11. q. 3. cõrollario 5. quibus aliqua ex parte ad stipulatur text. in c. accusasti de accusat. ibi, nisi pro pace. Quo in loco significatur ab eius capitis authore, non esse illicitum, nec dignum canonicis pœnis, quod quis, etiam clericus, deferat reum sanguinis & mortis pro quiete aut pace Reipublicę. Huius verò inductionis argumentatione modo vtimur ad aperiorem conclusionis probationem, tamen si aliter intellexerimus paulo ante text. in d. c. accusasti.

Duodecimo est adnotandum, non sufficere prædictam protestationem ad liberandũ ab irregularitate aduocatum, qui aduersus reum in causa sanguinis patrocinaretur, eandem protestationem præmittens, sicuti omnium consensu receptũ est, & notat post alios Ioannes de Imola in c. 1. de postulando. secus tamen erit in aduocato ipsius rei accusati. Nã etiam si accusator talionis pœna damnatus fuerit, nõ erit irregularis, nisi esset clericus, qui ex hoc operam daret rei illicitę, vt visum est Abb. in c. sent. sanguinis. ne cleric. vel monach. eidem in d. c. 1. de postulando. Gonsal. Villad. de irregul. c. de percussore. Et sane, si recte pendatur, quod Ioan. And. Anton. & alij tradidẽre in d. c. 1. de postulando. est huius quęstionis non facilis resolutio, idcirco ipse opinor hoc in casu considerandũ esse, quod licite quis accusat, & tamen, siue clericus sit, siue laicus, nõ præmissa protestatione, irregularis est, ea vero præmissa, liber est ab irregularitate. Sed et si quis accusatus non tantum se defenderet, imo petierit itidẽ accusatorẽ calumniantem puniri absq; saepe dicta protestatione, & accusator ex talionis pœna per iudicem occideretur, mihi placet eadẽ ratione hunc accusatum irregularẽ esse. Sic denique sicut aduocatus accusatoris, etiam protestatione facta, esset irregularis, eandem pœnam contrahit aduocatus rei accusati, si petierit accusatoris calumniam puniri talione, & accusator fuerit per iudicem occisus. Quod si accusatus tantum se defendat, nec petat accusatorẽ talione puniri, nec eius calumniam pœna legis coërceri, nõ erit hic irregularis, quãuis nulla sit vltus protestatione. Etenim nõ video aliquã iuris Põtificę decisionem, quę cõtrariũ efficaciter probet, igitur tota huius quęstionis controuersia in hoc est expõdenda, an aduocatus ipsius accusati petierit accusatorẽ talione puniri. Nam si hoc ab eo petitũ sit, & iure talionis accusator sit per iudicem damnatus ad mortem, & occisus, erit aduocatus irregularis, siue sit clericus, siue laicus, etiam si protestationem præmiserit. Nec refert defensionem accusati illicitam esse, quia & accusatio licita est, & nihilominus aduocatus accusatoris adhuc protestatione vltus cõsetur irregularis. Itẽ mihi cõducit, quod clericus aduocatus defendens reũ accusatũ, dederit operã rei illicitę, cum irregularitas in hac specie nõ procedat ex eo, quod datur opera rei illicita, vel ex culpa accusatoris, sed ex eo, quod ad eius petitionem iudex processerit in causa criminali, & mortem publica auctoritate inflixerit, vel intulerit. Idcirco illud est obseruan-

dum, an accusatus, eiusve aduocatus petierit calumniam accusatoris puniri, vt accusatus præmittens protestatione, irregularis non sit, aduocatus vero, etiam ea præmissa, irregularitatem contraxerit. Quod si non fuerit hæc punitio petita, sed tantum detur opera defensionis iustus ipsius accusati, non erit mors per iudicem ex talione accusatori illata ad irregularitatem imputanda, licet clericus sit aduocatus rei, nec vllam protestationem præmiserit. Si quidem defensio accusati per se non tendit ad mortem accusatoris, nec ad eam ordinatur, sed ad tutelam innocentie ipsius accusati. Damnatur autem ipse accusator ex eo, quod per calumniam alterum in iudicium sanguinis detulerit.

Decimo tertio his omnibus est adiiciendum, irregularitatem contrahi ab eo, qui testimonium in causa criminali dixerit, si ex eo mors fuerit illata, etiam præmissa protestatione, quod Felin. post alios notat in d.c. postulat. glof. ad hoc optima, quæ in laico loquitur, in c. 1. diff. & in clerico, glof. in c. testimonium, t. 1. q. 1. notant Abb. in c. de, cetero, col. 1. de testib. & ibi Felin. vbi hæc est communis omnium Dd. opinio Idem not. Ioan. Crot. in tract. de testib. nu. 69.

Decimo quarto ex his deducitur praxis illa, qua hæretice prauitatis inquisitores vtuntur, cum post condemnationem hæreticorum eos tradunt iudici seculari, eum rogantes, ne morte, aut membri mutilatione eos afficiat, quod textus probat in c. nouimus de verb. signif. Regia l. 60. tit. 6. part. 1. cuius praxis meminit Directorium Inquisitorum, dum refert sententiarum formulas, idque satis tutum est, tametsi tutius foret, quod Inquisitores non traderent sic damnatos iudici seculari, sed eos condemnarent coram iudice laico, atque ita damnatos à propria Iurisdictione dimitterent, vt denique statim iudex secularis eos morti & igni traderet, sicuti Henric. notat in c. ad abolendam. de heret. quem sequitur Ioannes Igneus in l. 1. §. cum domus. ff. ad Syllaniam. num. 17. Etenim licet iudex iustissimus aliquem morti tradens proprio iudicio & sententia, dubio procul irregularis sit, c. sententiam sanguinis ne cleric. vel monach. tamen iudex, qui delinquentem iuxta Iuris Pontificij constitutiones tradit iudici seculari, protestans, ne eum morti tradat, aut mutilatione membrorum puniat, irregularis non est. Cuius rei exemplum constat in his omnibus casibus, quibus ecclesiastici iudices post actualem degradationem clericos seculari iudici tradunt, & dimittunt, vt apparet in d.c. nouimus. & idem erit in hac hæresis causa. Nec quidquam ad hanc rem pertinet, quod Specul. voluit in tit. de dispositione. §. iuxta. nu. 44. qui Inquisitores ex eo ab irregularitate excusat, quod licitum sit absque metu irregularitatis mortem alteri consulere Martyrio pro fide suscipiendam, quam sententiam probant Innocent. Anton. Cardin. numer. 5. Socin. numer. 79. Felin. in d.c. ad audientiam. idem Felin. in c. sicut dignum. de homicid. §. clericos. Nam etiam hæc opinio vera sit, vt profectò vera est, distinctam rationem habet ab ea questione, quam tractamus, cum in eo casu de martyribus, consulat quis, & hortetur Christianum, & fidelem, vt pro defensione confessione fidei morti sese offerat. Nec consulit, quod seipsum occidat, nec quod alter eum occidat, esset enim tunc irregularis, sed quod omnia tormenta & cruciatus patiatur potius, quam fidem Christi abneget, aut deserat, ac tandem, vt pro eius testimonio & defensione, iuxta temporis & rei necessitatem, cuique periculo mortis & tormentorum seipsum offerat. Hoc siquidem consilium Catholicum, & pium est, nec ex natura sua, nec per se ad mortem tendit, imo nec periculosum est, nisi per accidens propter infidelium ac tyrannorum malitiam, præsertim, quia potest quis absque irregularitate in bello iusto hortari ad pugnam etiam periculosam ipsos milites, quemadmodum hac in secunda parte diximus. At inquisitores, qui hæreticum iudici seculari tradunt, tantum tractant de puniendo illo homine, qui perfide Christi fidem, quæ semel est professus, hæresi contracta reliquerit, quæ quidem punitio, licet pertineat ad defensionem fidei Catholice, nõ tamen est similis illi defensionis, & testimonio, cui martyres seipfos exponunt, mortem propter hoc etiam subituri. Et sane si argumentatio speculatoris foret valida, sequeretur ex ea, posse absque metu irregularitatis inquisitores iudici seculari consulere, vt hæreticos ei traditos morte afficeret. Quod verum non est, nec iure Pontificio probari potest.

Decimo quinto, iudex ipse & ecclesiasticus maximo irregularitatis periculo se exponit, cum aliquem criminis

reum in eum detruserit carcerem, qui mortem sit breuitate illaturus, vel ob eius humiditatem, fetorem, & squalorem, vel ob alimentorum subtractionem, & modum notant Guilielm. à Monte Lauduno in clem. de peccatis. & remiss. Abb. in c. ad audientiam. de crimine falsi. Ananiam cap. de cetero. de homicid. col. vlt. Socin. in c. ad audientiam. col. tit. nu. 57. Flor. 3. part. tit. 28. c. 2. §. 6. Ioan. Bernard. in pract. crim. c. 159.

Præter hæc omnino est obseruandum, posse Prælatum absque vllò irregularitatis metu, si iurisdictionem habeat temporalem, committere causam, vel alicuius causæ criminalis cognitione alteri, vt is iustitiam faciat. Etenim etiam hic iudex delegatus, aut ordinarius accusatum, vel reum morti tradiderit, non erit Episcopus, nec Prælatum, qui hæc legationem fecerit, irregularis, textus celebris in c. sine clericis, vel monach. lib. 6. ex contrario tamen quaritur, an possit Prælatum vel clericum cognoscere de causis criminalibus ad puniendos laicos ex commissione Principis secularis, & profectò text. in c. in Archiepiscopatu de rapto, probat, hæc commissionem validam esse, cum eius ratione possit delegatus de his causis cognoscere, ac sententiam ferre, modo à pœna sanguinis abstineat, quem textum præter ordinarios eius interpretes, censet singularem esse Arctin. conf. 508. col. 3. qui rursum col. 5. ex eo adnotauit, censeri huic delegato commissam causam quoad pœnam, etiam ordinariam criminis, iuxta eius qualitatem, licet ea sanguinis sit; quia tunc punitioem dimittit committenti, & deleganti, si ipse non valeat de hac pœna iudicium dicere. nõ enim ipse Princeps visus est pœnam sanguinis remittere ex eo, quod causæ cognitionem delegauerit ei, qui eandem pœnam per sententiam infligere non potest & tamen reponso textus in d. c. in Archiepiscopatu, procedit, quia ea commissio facta fuit in utilitatem & commodum religionis Christiane ad tollendum opprobrium illud, quod à Saracenis Christi fidelibus fieri solebat, vt Panormitan. & Anan. ibi explicant, aut quia ex commissione imminere utilitas Ecclesie, sicuti Panorm. notat in c. decernimus, de iudic. col. 3. Tandem potest & tertio dici, hæc delegationem validam esse, quando est visus tantum causæ, secundum eundem Abb. in c. clericus ne cler. vel monach. 2. col. sensit Innoc. in c. vnic. de obligat. ad ratiocin. & est communis opinio, vt Ripa testatur in d. c. de iud. num. 106. Quarto, vt cuncte fiat hæc delegatio, valida erit in hunc sensum, vt iudicium teneat, licet delegatus commissione vsus peccet grauissime, quemadmodum latè notant Abb. & Dec. nu. 7. in d. c. de iudic.

TERTIA HVIVS RELECTIONIS PARS.

De delinquentibus ignoranter.

S Y M M A R I A.

- 1 Ignorantia quatenus excuset ab irregularitate. & expenditur locius tractatus ratio.
- 2 Furiosus committens crimen ante suorum, an possit in suorum puniri.
- 3 Ebrus hominem occidens, an sit puniendus, & an sit irregularis.
- 4 Ebrus an sit irregularis, ubi culpa sua incidit in ebrietatem.
- 5 Insanus, an sit irregularis, si hominem occiderit, & an sit puniendus præter illud, quod de minori astat.
- 6 Dormiens, an sit irregularis, si hominem occiderit.
- 7 Pollutio nocturna, quando inducat abstinentiam à celebratione, & communiione Eucharistie.
- 8 Mutilatio membri equipollet homicidio quoad irregularitatem, & quod dicitur membrum, utrum de auri, mamelle, vel digitorum intelligatur.
- 9 Percussor alterius membrum efficiens debile, an sit irregularis?

SI furiosus, aut insanus, seu dormiens hominem mutilat, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit, & idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat inualorem. Hæcenus constitutio Clementis Quinti in Consilio Viennensi, cuius interpretationem eo ordine explicabimus, vt quodlibet eius verbum ad sensum verum pro viribus deducamus.

Prænotandum tamen est, Ignorantiam, quæ prius vsu rationis excusare omnino ab irregularitate, præsertim ea, quæ ab homicidio procedit. Nam licet nullum peccatum exigeretur ad incurrendam irregularitatem, requiretur tamen, vt operationes illæ, à quibus oritur irregularitas, sint humane ex iudicio rationis, & non ex sola sensualitate procedentes. Homo etenim quatenus rationalis est, non quatenus sensibilis, irregularitatem incurrit, idcirco necessarium est ad eam, quod operationes illæ, propter quas